Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

filiorum israhel de deserto sin. secundum castra sua per uerbum dei. Est ergo una
quidem synagoga domini. sed hec in quattuor castra diuiditur. Quattuor namque
castra describuntur erga tabernaculum domini posita. sicut referuntur in numeris.
Et tu ergo si semper armatus sis et scias te in castris domini militare. obser-
ua illud mandatum quia nemo militans deo implicat se negotiis
secularibus. ut ei placeat cui se probauit. Quia si ita milites ut a rebus
secularibus liber sis. et in castris domini semper agas excubias. et de te dicetur
quia per uerbum domini excessisti de deserto syn. et uenias in raphydim. Syn enim
temptatio interpretatur. raphydim uero sanitas iudicii. Qui bene exit de
temptatione. et quem temptatio probabilem reddit. iste uenit ad sanita-
tem iudicii. In die enim iudicii sanus erit et sanitas cum eo erit qui in
temptatione non fuit uulneratus. sicut et in apokalypsi scriptum est. qui autem ui-
cerit dabo ei de ligno uite quod est in paradyso dei mei. Venit ergo ad
sanitatem iudicii. qui bene disponit sermones suos in iudicio. Sed
quid est quod sequitur. sitiuit inquit ibi populus aqua. et murmurauit aduersum
moysen. Videatur fortasse ex superfluo dictum quod dixit. quia aquam si-
tiuerit populus. Suffecerat enim dicere quia sitiuit. quod opus fuerat adde-
re aquam sitiuit. Non est superflua adiectio. Sunt enim diuerse sites. et unus-
quisque habet propriam sitim. Qui beati sunt secundum uerbum domini esuriunt et siti-
unt iusticiam. et alii nichilominus dicunt sitiuit anima mea ad te deus. Quod
uero peccatores sunt patiuntur non sitim aque neque famem panis. sed sitim audi-
endi uerbum dei. Idcirco ergo et hic addit quia populus sitiuit aquam. qui debuit
deum sitire. qui debuit sitire iusticiam. Verum quia deus uere eruditor est in-
fantium. et magister insipientium. corrigit culpas et emendat errores.
dicit ad moysen ut sumat uirgam et percutiens petram educat eis aquas.
Vult enim de petra eos iam bibere. uult eos proficere et ad interiora
uenire mysteria. Murmurauerunt enim aduersum moysen. et propterea
iubet dominus ut ostendat eis petram ex qua bibant. Si quis est qui legens
moysen. murmurat aduersum eum et displicet ei lex que secundum litteram
scripta est quod in multis non uidetur seruare consequentiam. ostendat ei moy-
ses petram que est christus et adducit eum ad ipsum. ut inde bibat et resi-